



A V E M A R I A.
M I S T I C A P R O L U S I O
P R O C O M I T I S P R O V I N C I A L I B U S ,
I N R E G I O C O E N O B I O C O R D U B E N S I
C O E L E S T I S O R D I N I S
S S . T R I N I T A T I S ,
R E D E M P T I O N I S C A P T I V . P R I M I T I V Æ
O b s e r v a n t i æ , c e l e b r a n d i s , à d i e v i g e s i -
m a n o n a A p r i l i s u s q u e a d t e r t i a m
M a i j i n c l u s i v è . A n . D . 1 7 6 3 .

C O R D U B E : Sub Typis D. Joannis de Medina , &
S a n - Tiago, in Platea de las Cafias, per Antonium
Serrano , & Nicoláum Tudòn.

АХАМЕДА

РІЧНЯНИЙ АЛМАЗ

18.11.1990 10:00 AM

2010-2011

卷之三十一

STANHIRE CO.
MANUFACTURERS OF
COTTON AND SUGAR BEET FIBRES

THE FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION, U. S. DEPARTMENT OF JUSTICE,

• Ξένια Κυριακή στην Ελλάδα

“*It is difficult to discern the exact date when the auction
of slaves began, but it was probably about 1700.*”

Digitized by srujanika@gmail.com

PARADISUS VOLUPTATIS APERITUR,
IN CUIUS CONVIVIO MANNA ABSCONDITUM,
& nomen novum propinatur,
CUIUS AROMATA, FLANTE DIVINI SPIRITUS AUSTRO
(Deus enim ab austro veniet) mirum Christi odorem fluent.
SED QUID NON SUAVISSIMI ODORIS IN HOC
TRINIFERO PATRUM CONSESSU?
QUID NON PULCHRITUDINIS, ET HONORIS
in arcola Scientiæ, & Virtutis?

FLORES ERGO APPARUERUNT IN TERRA NOSTRA,
Flores Religiosorum, ait eruditus Cornelius, qui pulchritudinis
studium habentes, & in domibus suis pacificantes; quasi storax,
& galbanus, & ungula, & gutta, & balsamum non mix-
tum vaporant habitationem nostram;

FLORES, INQUAM, FRUCTUS PARTURIENTES, UT
merito nostra Boetica Inclita Provincia dulciora voce canat:
Flores mei fructus honoris, & honestatis.

SI ERGO FLORES APPARUERUNT IN TERRA NOS-
tras; igitur tempus putationis advenit. Tempus frondationis, tem-
pus cantus vertit cum Hebreis Vatablus, ut non in merito me-
trice cum Poeta dicamus: *Canet frondator ad auras.*

QUA PROPTER TERTIO CALENDAS MAIJ, POST QUAM
Vocales congregantur, suffragia recensentur, numerus, & animus
religiosè conferuntur, in ipso comitio, clausis januis, latino ser-
mone pacem dulci, & blandi-vocis sono clamabit P. F. BLASIUS
PALOMERO, Lector Philosophiae in Granateni Coenobio.
EODEM DIE POST SOLIS OCCASUM, ACCEDENTE
Orationis hora consueta (ut quotidie in Religione observatur)
alia fit Vocalibus exortatio, ut *sicut oculi ancilla in manibus Dominae*
fue, ita oculi Electorum ad Dominum dirigantur, quam
ore, & animo feliciter eructabit

R.A.P.N.F. FRANCISCUS
HYACINTHUS MARTINEZ, IN SACRA THEO-
logia Præsentatus, Episcopatus Gienensis Synodalis Exam-
inator, Visitator Apostolicus, & Præses Capituli.

PRI-

TRIDIE CALENDAS EJUSDEM. (SABBATO SCILICET
ante Dominicam quartam post Pascha in manè) Sacro (pro Divi
Spiritus Electoribus illapsu) solemniter peracto ; Flores fructus
parturiunt dignorem eligendo in Provincialem Ministrum , qui
tamquam flos Ecclesiastici germinis , decus , & Ornamentum Pro-
vinciae , cuncta faciet florescere , & suavissimum Christi odorem
spirare . Vesperè tamen reliqui religiosi Dynastes
methodo eadem eliguntur .

DIE DOMINICA SEQUENTI (MANE) SS. TRIADOS (SA-
cro solemni) rependuntur grates , pro quatum eructatione mo-
dulationem gratam auribus exhibebit luculentus Orator P. F. FE-
LIX DE SOLDEVILLA, ET ALMOGUERA, in hoc Regali
Cordubensi Cœnobio ad Lauream Magisterij
merito Jubilatis .

VESPERE EJUSDEM , CONFERUNTUR GRADUS BAC-
calureatus , ac Magisterij , Candidatis prius Scholari discussione
probatis , quos faceto Sermone , more academico , (Nobisque apos-
tolica auctoritate induito) Titillabit , forsitanque cantillationibus
punderet P. F. PETRUS A S. MARTINO URIBE , in Sacra Theo-
logia Lector Jubilatus ; & in Hispanensi Universitate Mathe-
maticæ Cathedræ dignissimus moderator .

DIE SEQUENTI (FERIA SECUNDA MANE)
SS. PATRIARCHARUM. JOANNIS DE MATHA,
ET FOELICIS DE VALOIS

RESERANTUR PRÆCONIA , TAM IN ALTARI , QUAM
in suggestu , pro quo dulciter canebit P. F. ANTONIUS MIRA-
MON , in Sacra Theologia jure Jubilatus in Regali
Hispanensi Coenobio .

VESPERE EJUSDEM , EXPOSITIVA THEOREMATA
propugnabuntur à PP. infra nominatis .

FERIA TERTIA SEQUENTI (MANE) FUNERA PRO FRA-
tribus extintis parabuntur , de eorumque memoria , atque virtute
P. F. PETRUS GOMEZ , Sacrae Theologiae Lector Murcienfis
Cœnobij tristis , & Lamentabili Threno

Encomiastes aderit .

VESPERE EJUSDEM , CONCLUSIONES EXPOSITIVÆ
sub eidem Propugnatoribus defensabuntur .

APOLLINI SACRO

MYSTICUM CORDUBENSIS ECCLESIAE FLORI-
dissimum Hortum aquis Sapientiae irriganti.

MERCURIO OPTIMO

MIRIFICÆ DOCTRINÆ SPLENDIDISSIMO CA-
duceo , viatores in salutis æternæ portum fortiter,
suaviterque dirigenti.

PULCHERRIMO SOLI

SUO, OMNIBUS SPLENDORE, VERBO, ET EXEMPLÓ,
(quibus fæliciter p̄fēct, proficiēti) cuius animi magnitudo po-
tius exemplis , quam verbis ipsum jugiter Dei
ministrum exhibuit.

PASTORI VIGILANTISSIMO

CUJUS RECITUDO, ET CHARITAS, ITA NOBIS AB
eius ortu Justitiam , & abundantiam quoque versus coruscare fa-
cit, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.

SED QUIS TALIUM GRATIARUM ABUSSUS?

ILL. D.D. MARTINUS MUS DE BARCIA,

OLIM POSTULEATOR REGIUS: AD URBEM MISSUS PRO
causa Canonizationis V. Magistri de Avila; Abulę Dignitas Ques-
tor Maximus: Archidiaconus de Monte-Negro : Consultus ad Li-
beritanum Forum Regium : Domesticus, ac perpetuus suæ Beati-
tudinis Bræsil: Assessor in Sacro Poatificio Solio: Item ad Episco-
patum Gadicensem Consultus:& ad Archiepiscopatum Granaten-
se: Episcopus Cepti, ibique Régaliū Xenodochiorum Protector,
ac Phalangiū Generalis Vicarius : nunc demum Cordubensis Epis-
copus, atque Catholicae Majestatis Consiliarius, &c.

TANTO ERGO MECOENATI, COLENDOQUE DOMINO, INCLITA
Boetica Provincia SS. Trinitatis Redempt. Capitv. Primitivæ Observantie in
comitio congregata, prestat famulatum , hosque ex amenissimo Sacre Scriptu-
re Campo decerpitos Flores, in obsequij signum, gratitudinis specimen,
magisque amoris demonstrationem D.O.S.

ILLUS-

ILLUSTRISSIME DOMINE:

DTinam ergo, Infulate Nobilissime, quæ tibi dicantur, te essent digna! Verum si in ad te adeundo aliqua culpa, tibi ignoscere debes. Evidem ipsa tua celsitudo, quæ Nos retrahere posset, in causa haud dubiè est, quod ad tuæ Dominationis aras fiducialiter adeamus, ut munusculum nostrum, vere exiguum, aliqualis pretij dignum quodammodo exultimet: *Multa enim (ait Plinius) valde pretiosæ videntur, quia Tempis dicata.* Mirabilis ergo facta erit Scientia nostra ex te, confortabitur; vel ut Ecclesiasticus loquitur cap. 24. *In Deo honorabitur; in medio populi exaltabitur; in plenitudine sancta admirabitur; in multitudine Electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.* Quam ob causam? Sane quidem ob tuum patrocinium, quod vires nostras in Litterario certamine duplicabit, dum Praeses ejus existas, qui *Homo, & Homo natus es* ad protectionem nostram. Ut mundi Machina præsideret factus est protoplastus noster semel homo: *Faciamus enim (inquit Triados suprema) hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præfit.* Et cum factus sis, ut præsideres nobis, *homo, & homo natus es.* Et numquid duplex homo? Nihil minus. Unicus tantum, singularis; sed virtute duplicita pollens ob insigiles doles animi, ut extinde duplex fieres per æquivalentiam in nostro, omniumque auxilio. Ideo *homo, & homo natus es*, in natura homini par; sed hoc inter alia; ab omni-

nibus differens, quia te discernit sola virtus. Sed quæ virtus? Omnis utique, Dilectissime Princeps, naturalis, moralis, & Theologica, quæ animum tuum in non cœgi-
muni gradu exornans, à cæteris splendoribus, non sicut
stella differt à stella in claritate, sed sicut à stellis Luna
plena in diebus suis, te distinguit, discernitque: Majes-
tas, scilicet, qua gaudes, sine fastidio, comitas sine fice-
tione, sine offensione severitas, sine ambitione nobilis-
tas, sine ostentatione generositas, ingenuitas miranda;
conversatio gratiosa, genius, & ingenium, non quia
commendantur præstantiora, sed commendabilia versi,
quia omni æncomio vel superiori dignissima. Major at-
tem horum est Charitas tua, quæ tecum ab infantia cre-
vit, ita ut si quandoque ob ætatis defectum fons parys-
vissa est, postquam annos discretionis attigit, statim in-
fluvium magnum, solemque conversa sit. Ita suadet tui
amoris ardor erga Divinissimum Eucharistie Sacramen-
tum; tua singularis pietas in Divinum cultum, & tua er-
ga proximos commiseratio; atque ita fateri cogemur,
nisi, clausis oculis, tuum maximum studium in Eccle-
sijs reparandis, ægenisque clam, & publicè subvenien-
dís temere negare velimus. Lux ergo tuę charitatis facta
est in diebus nostris septempliciter sicut Lux septem die-
rum, utpote quæ ita diffusa, & profusa, ut non sit, qui
se abscondat à calore ejus. Sic, Antistes nobilissime, mira-
bile evadis expectaculum mundo, & Angelis, & homi-
nibus; mundo, quia non audivit umquam tale; Angelis,
qui, dum te tam plenum dotibus, ac meritis cognoscunt,

arguunt certe, quod à Deinō factus es portentum, ut
sis mirabilis in oculis eorum; Hominibus denique, ad
quos illa Psalmistę verba videntur telata: *Venite, & vi-
dete, quæ posuit Dominus prodigiū super terram.* In te
uno quidem ut totum orbem illustres tantis gratijs, &
charismatibus, quæ de sursu sunt à Patre Luminum, ut
ab omnibus, si omnibus in natura par, virtus tua te dif-
ficeret, tibi sunt comunicata. Sed quid tot mirabilia?
aut quorsum? ut *Homo*, & *Homo fieres* ad universorum
patrocinium: ergo jure, & meritò protectionem in te
avidè depositimus. Eja igitur, Clementissime Princeps,
munus hoc libens accipe, vere exiguum, quia nostrum,
sed magnum, quia tibi dicatum, & maximum, quia ex
Scriptura Sacra selectum. Ex hoc amenissimo paradiſo
pulchros flores offerimus, quibus ipse mente delecteris,
qui in Legē Domini quotidie meditaris, ut vere cum Eli-
dra 4. cap. 9. v. 24. posimus dicere: *Hic in campum flo-
rum; & manducabis solummodo flores.* Parce, vive, & Vale.

EXPOSITIVA THEOREMATA, EX AMENISSIMIS
Sacræ Scripturæ areolis collecta.

EX LIBRO GENESIS.

I.

DIVINI CONDITORIS OPERA MIRABILIA,
quæ illius gloriam, maiestatemque proclamant,
Teste Psalmista; Cæli enarrant gloriam Dei, & opera
manuum ejus anuntiat firmamentum, inicium habuisse,
quando In principio creavit Deus Cælum, & Terram,
Moyses hac ipsa locutione demonstrat; unde fide divina
patet, Mundum ab eterno non extitisse, ut plures Eth-
nici, & Philosophi afferuere; quo vero anni tempore
conditus fuerit, non parum disident Authores: Nos ve-
ro resolutoriè asserimus: Mundum conditum fuisse in
Æquinoccio Verno, seu Lunatione Martij.

II.

Mundi productio, Paradisi plantatio, omniumque
operum dispositio, non fuit instantanea, sed sex diebus
spatio continuata, & successiva.

III.

Illa verba: Faciamus hominem ad imaginem, & si-
militudinem nostram non incongruè possunt intelligi juxta
Litteram, denotando, hominem esse imaginem, & si-
militudinem Jesu-Christi Salvatoris nostri.

A

IV.

IV.

Cap. 3. hujus Lib. Ver. 23. & 24. dicitur; quod Dominus Deus emisit Adam de Paradiso voluptatis; & collocavit ante illum Cherubim, & flammum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam Ligni vita. Quæritur: An Primi Parentes virgines exierint, & incorrupti? & respondemus: illos, in Paradiſo, omnem omnino carnis corruptionem nescisse.

V.

Cum Scriptura Sacra nullam de uxore Abelis faciat mentionem, in dubium venit; an Abel virgo permanserit? Nos ergo asserimus: uxorem duxisse, & filios procreasse.

VI.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit. Sic in littera cap. 4. hujus Lib. Ver. 4. & 5. ex quibus verbis colligimus, sacrificium Abelis aliquo signo sensibili esse approbatum à Deo; scilicet igne cœlitus demisso.

VII.

Cain, impius Abelis fraticida non naturali morte, sed occidente occisus occubuit.

VIII.

Lamech filius Mathusael, Jactulo percussit Cainum, cumque interfecit, & miserrime occidit.

IX.

An anni, de quibus loquitur Scriptura Sacra in gene-

rationibus Patriarcharum prius Mundi etatis fuerint duodecim mensium, & tantæ durationis, sicut modo sunt anni, resolvitur; predictos annos fuisse Solares, duodecim mensium, & ejusdem durationis cum nostris.

X.

A creatione mundi usque ad diluvium, scilicet principium diluvij, fluxerunt anni mille, sexcenti, quinquaginta sex.

XI.

Anni, qui fluxerunt à creatione Mundi usque ad diluvium, non fuerunt lunares.

XII.

Annus millesimus, sexcentessimus, quinquagesimus sextus, in quo factum fuit diluvium universale juxta textum nostræ Sacré Vulgatæ, fuit bissextilis ex se, & ex sua natura, juxta regulationem, & calculationem temporum, & annorum.

XIII.

A creatione Mundi usque ad annum primum infantiæ Lamech filij Mathusale, inclusive, juxta textum nostræ Vulgatæ, fluxerunt anni octingenti, Septuaginta quinque; juxta vero editionem Septuaginta Interpretum, fluxerunt mille quadringenti sexaginta.

XIV.

Concordantia Grecæ, & Latinæ versionum stabilitur, facta supputatione duorum annorum magnorum, quorum unus dicitur *Sathicus*, seu *Solis*; alter vero *Cynicus*, sive *Egiptiacus*.

XV.

Aliqualis verificatio annorum *Sothici*, & *Cynici* demonstratur.

Dignum existimavi (ne in re tanti momenti lubrica, & tenebrosa via progrediamur) aliquam prædictorum annorum explicationem apponere, juxta mentem doctissimorum, qui concordiam Grecę, & Latinę versionum stabilendam suscepérunt: Igitur Egiptij, qui quidem ponderosa iudicij, & sapientiae lance Solis ortum, gyrum, & occatum observabant; preter vulgares annos (qui 365 diebus constant, vel 366 si est bissextilis). aliam indultriosam anni computationem statuerunt pro insignibus rebus, posteritati in specialissimam veneracionem relinquendis, qui anni, alio nomine, alia item numerorum summa, licet infallibili apud Eruditos tantum servaretur. Erat ergo apud Egiptios unus annus, qui contabat 365 annis vulgaribus: Erat alter annus, qui ex 1460 vulgaribus componebatur, & si erat bissextilis ex 1461. Unusquisque ex his duobus annis appellabatur *Annus Sothicus*, seu *Solis*; annus vero ex 1460 appellabatur *Cynicus*, *Egyptiacus*. Ulterius annus ille *Sothicus*, seu *Solis* ex 365 erat *Enigmaticus*, vel *virtualis*; quia ad sui resolutionem pendebat à multiplicatione per quatuor facta enim ista, resultant 1460 anni, qui sunt ille annus *Cynicus* 1460. Ex quo sequitur, quod annus *Sothicus*, & annus *Cynicus* in re idem sunt: atque cum hac differentia,

quod

quod Sothicus erat absconditus , & pendens ab illa multiplicatione per 4 : at vero Cynicus erat expressus , clarus ; & ut ita dicam , expansus , & etiam declaratorius anni Sothici .

Hoc supposito , palmaris demonstratione appetet , Græcam , & Vulgatam versiones in chronologia Mundi habere duos annos magnos , unum in prima ætate , alium in secunda ; unum in Raptu Henoch cap. 5 . hujus libri ; alium in promissione Mesiæ Abrahæ facta cap. 12 . Genes . Sed cum hac differentia ; quod in Vulgata isti duo anni indigent multiplicatione , quia sunt Sothici , seu Solis , & propterea virtuales , Ænigmatici , vel absconditi : at in Septuaginta isti duo anni magni sunt expressi , seu expansi , Cynici , sive Egypci . Cum autem Interpretes Græci posituri essent expresos suos duos annos magnos , propterea addiderunt tot centenaria annorum ad annos Vulgatæ in cap. 5 . & 11 . Genes . ad solvendū in Vulgatæ Ænigma , & ut Mundi chronologia expressa , & clara de- curreret . Ex his evidenter constat , Septuaginta Interpre- tes per centenariorum additionem ad Vulgatam in duo- bus illustrioribus epochis , seu Mundi eventibus mirabi- lioribus , nempe Raptu Henoch , & Mesiæ promissione duabus primis Mundi ætatibus , cap. 5 . & 11 . Genes . Esse Glosatores , Declaratores , inq & Solutores ænigma- tis anni Sothici contenti in Vulgata .

Quia propter hujus industriae aliqualem verificatio- nem ostendam per applicationem duorum annorum mag- no-

norum ad duas primas ætates, & versionum Græca, & Vulgatae concordiam in compendio. Intendat lector, & videat, quod duo promoto, unum, aperire duos annos magnos in cap. 5. & 11. Genes. à Septuaginta expressos, & à Vulgata signatos; alterum, compendium concordiaæ componere.

Circa primum, & loquendo de prima ætate, annus magnus; licet Sothicus, seu Solis est in Vulgata cap. 5. Genesis, dum ait sacer textus: *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni: ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Hæc Vulgata. Raptus ergo Henoch fuit vite suæ annis

365

Multiplica hos per — 4

Efficiunt — 1460, qui est annus magnus Cynicus, licet Sothicus in Vulgata, dependens à multiplicatione per quatuor juxta studitionem Ægyptiacam, qua usus fuit Interpres Latini propter relinquendam seculis, aut posteritati hujus Raptus memoriam venerabilissimam.

Videamus nunc Septuaginta Interpretes hunc annum magnum primæ ætatis ponentes expressum per suas centeniorum additiones. Igitur quando evenit mirandas hic Henoch Raptus currebant anni mundi

jux-

juxta Vulgatam ————— 875, ut videli potest in textu cap. 5. Genesim facta summa. Septuaginta usque tunc per centenarios addiderant ————— 586

Efficiunt — 1461, qui est annus magnus Cynicus, & perfectissimus, quo evidenter convincitur, additionem Septuaginta tot centenariorum propter hoc mysterium fuisse.

Quod vero additio industriosa centenariorum a Septuaginta importet illos 586 annos, est evidens lecto eorum textu.

Nam dum Adam genuit Seth, habent Septuag. 230 In Vulgata 130.
Dum Seth genuit Enos, habent Septuag. 205 In Vulgata 105.
Dum Enos genuit Caynam, habent Septuag. 190 In Vulgata 90.
Dum Caynam genuit Malaleel, habent Septuag. 170 In Vulgata 70.
Dum Malaleel genuit Jared, habent Septuag. 165 In Vulgata 65.
Dum Jared genuit Henoch, habent Septuag. 162 In Vulgata 162 equeales.
Dum Henoch genuit Mathusalam, habent Septuag. 165 In Vulgata 65.
Dum Mathusalam genuit Lamech, habent Septuag. 167 In Vulgata 187 Plus 20.
Raptus Henoch juxta Septuag. anno infantiae Lamech 6 In Vulgata 1.

Ex his apparet, quod Septuaginta addiderūt supra Vulgatā,

In Adam	100
In Seth	100
In Enos	100
In Caynam	100
In Malaleel	100
Nihil in Iared	000
In Henoch 100, sed auferunt 20, & manent 080	
Ex infantia Lamech assumunt	6

Ergo additi à Septuaginta faciunt 586

Qui juncti cum summa Vulgatae 875

Efficiunt 1461 qui est

annus magnus Cynicus, & perfectissimus. Quid clarius?

Visō jam evidenter primo anno magno in prima ætate apud utramque versionem, nempe apud Vulgatam Sothicō, seu Solis, & apud Septuaginta Cynico, expresso, seu expanso propter centeniorum additionem; accedamus ad secundum annum magnum, Cynicum quidem in Septuaginta, & Sothicum in Vulgata pro secunda ætate, que est post diluvium, cap. 11. Genes. Igitur pro hoc anno ab Arphaxad usque ad promissionem Mesiæ, factam Abrahe, ponit expressè Vulgata 365 annos in generationibus filiorum, quos, si ut supra est animadversum, multiplices 4

Efficiunt 1460. Et illi

365 sunt unus annus Sothicus, seu Solis, ut jam est notatum.

Quod

Quod vero sint in Vulgata illi 365, patet literaliter ex textu: Nam ibi dicitur, quod

Dum Arphaxad genuit Sale, habebat	35 annos
Dum Sale genuit Heber, habebat	30
Dum Heber genuit Phaleg, habebat	34
Dum Phaleg genuit Reu, habebat	30
Dum Reu genuit Sarug, habebat	32
Dum Sarug Nachor genuit, habebat	30
Dum Nachor genuit Thare, habebat	29
Dum Thare genuit Abraham, habebat	70
Dum cap. 12. Genes. promissio Mesiæ facta fuit Abrahæ, habebat iste	75

Efficiunt — 365 qui est
annus Sothicus, seu Solis, & multiplicatus per 4,
facit 1460 hoc modo — 4
— 1460 — qui
est annus Cynicus expressus.

Videamus; quomodo Septuaginta cum additione suorum centeniorum efficiunt suum secundum annum magnum expressum, Cynicum, & perfectissimum. Igitur Septuaginta incipiunt harmoniam sui secundi anni magni ab anno vitae Noe

8 i	juxta ipsos ; ergo ab anno 8 i. juxta ipsos ; usque ad diluvium juxta Vulgatam sunt anni 5. 19 inter capitulois.
De Sem bienio post dilub.	2 Omititur hic
De Arphaxad	33 Caynam cum
De Sale	130 omnibus suis
De Heber	134 annis , propter
De Phaleg	130 dicenda conclu-
De Reu	132 sione XX.
De Sarug	130
De Nachor	179
De filio Thare	70

Efficiunt 146 i. qui est annus magnus Cynicus , expressus , & perfectissimus à Septuaginta Interpretibus , propter additionem centeniorum in hac secunda ætate cap. 11. Genesis. Ex hoc patet , quod Septuaginta addiderunt in hac secunda ætate 650 annos , qui si jungatur cū additis à Septuag.

in 1.8 etat 586

Efficiunt 1236. In quibus Septuaginta excedunt nostram Vulgatam. Ergo si Vulgata poneret expressos , & expansos duos annos magnos in illis duobus mirabilibus Epochis , seu mundi eventibus , Raptu Henochi in prima ætate , & Mesiæ promissione in secunda , haberet eosdem omnino annos , ac Septuaginta in duabus primis ætatibus. Est evidens. Ergo si Septuaginta posuissent suos annos magnos Sothicos , & Vulgata Cynicos , Vulgata exce-

deret Septuaginta. Est evidens, quia per accidens fuit, quod Vulgatae apponenterunt anni Sothici, & Grecae versioni Cynici, seu expansi. Ergo tandem Vulgata eosdem omnino annos in re habet in Chronologia mundi, ac Greca translatio; licet cum hac differentia, quod Vulgata habet suos duos annos magnos, sigillatos, absconditos, virtualeisque in annis Sothicis, & propterea retardatur in Chronologia; Septuaginta vero explicatos, expreflos, expansos, sive claros, ut pote Cynicos. Ergo nec una, nec alia deficit verfio; sed una aliam explicat, nempe Greca Vulgatam. Ex his, non difficilis apparent concordia duarum versionum; quia in nostra Vulgata à creatione mundi usque ad Christi natalium fluxerunt anni

3963.

Iuxta editionem vero Septuag. eni conformare videtur S. R. E.

5199

concordant bene, si ille excelsus annorum 1236 applicetur Vulgatae, ut debet applicari, & sic Vulgata habebit sicut Ecclesia, & Septuaginta

5199.

Fac computum.

Anni Vulgatae à creatione mundi usque ad natalium Christi

3963.

Anni, in quibus Septuaginta excedunt nostram Vulgatam.

1236

5199

XVI.

Computatio prædictorum annorum , valde utilis est ad vitandum errorem , & pertinacem Judaismum.

XVII.

Talis computatio est certa , & quasi clavis ad apere riendum mysterium , & absconditum Ænigma annorum , qui in nostra Vulgata sigillantur in Chronologia Mundi.

XVIII.

Etiam necessaria est ad demonstrandam veritatem S. R. E. in Chronologia Mundi , usque ad natalitium Domini nostri Jesu-Christi , anno quinquies millesimo centessimo nonagesimo nono.

XIX.

Inter generationes Arphaxad , & Sale , mediat generatio Caynam.

XX.

Propter generationem Caynam inter Arphaxad , & Sale , non sunt addendi anni ad annos expressos in littera nostræ Vulgatæ , à dilubio usque ad annum Septuagessimum vitæ Thare.

XXI.

Ædificatores turris Babilonicæ , non peccaverunt in prima intentione construendi opus famosum.

XXII.

Tales Ædificatores in secunda intentione peccaverunt mortaliter , incidendo in laqueum superbiæ.

XXIII.

XXIII.

Abraham natus est anno Septuagesimo vitæ Thare.

XXIV.

Sara uxor Abrahæ, non fuit Soror, & germana ipsius Abrahæ, sed filia Aran fratri sui.

XXV.

Hœbrei, non ab Abraham, sed ab Heber denominantur Hœbrei.

XXVI.

A dilubio usque ad nativitatem Abrahæ, juxta tex-
tum nostræ Vulgate, fluxerunt anni ducenti nonaginta
duo.

XXVII.

Abraham non peccavit descendendo in Ægyptum,
quando fuit vocatus à Deo in terram Chanaam.

XXVIII.

Melchisedech Sacerdos Dei altissimi, qui obviam fe-
cit Abrahæ revertenti de prælio, erat Sem filius Noe.

XXIX.

Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semeti-
tuum in terra non sua, & subjiciet eos servituti, & affli-
gent quadringentis annis. Sic locutus est Dominus Abrahæ
cap. 15. Genes. ver. 13. & postea ver. 16. ait. Genera-
tione autem quarta revertentur hic. Quæritur: An annæ
predicti in hac revelatione peregrinationis posteritatis
Abrahæ, computandi sint ab ingressu Jacob in Ægyptum,
usque ad egressum filiorum Israel de oppressione, & fer-

vitute Agyptiorum? Resolvimus: prædictos annos non computari ab anno, quo Jacob ingressus est in Agyptum.

XXX.

Ami quadringenti, de quibus loquitur Scriptura in præcedenti textu, non debent inchoari ab anno nativitatis Isaac.

XXXI.

Resolutoriè affirmamus, hos quadringentos annos inchoandos esse ab ejectione Agar, & Ismaelis de domo Abraham, quando remansit solus, unicus heres omnium promissionum.

XXXII.

Illa verba cap. 15. Genes. ver. 16. Generatione autem quartæ revertentur hic, si per lineam Regalem numerantur generationes, computanda est quarta generatio à Jacob, qui descendit in Agyptum usque ad Caleb, qui fuit de intrantibus in terram promissionis.

XXXIII.

Computatio hujus quartæ generationis per lineam Sacerdotalem, numeranda est, non à Jacob, sed à Levi filio ejus usque ad Eleazarum filium Aaronis.

XXXIV.

Præceptum circumcisionis impositum Abraham, quando Dominus pepigit foedus cum ipso, &c generationibus suis, datum fuit ad distinguendum Populum Israel ab Idolatriis, & Gentilibus.

XXXV.

XXXV.

*Circumcidetis carnem priapitij vestri. Sicut in littera cap.
17. ver. 11. Inquiritur; quare circumcisio fiebat in pre-
putio? & respondetur, fieri in illo membro, ad abolen-
dum turpissimum vitium Priapismi, & ad detestationem
idolatriæ.*

XXXVI.

Circumcisio fuit unum ex Sacramentis veteris legis.

XXXVII.

*Circumcisio ex prima sui institutione, & ordinatio-
ne, fuit in remissionem peccati originalis.*

XXXVIII.

*Et si Deus conferret gratiam omnibus Circumcisitis,
tamen illam non conferebat virtute circumcisionis, sed
ex fide Christi ventari.*

XXXIX.

*A diluvio, hoc est: a principio diluvij, usque ad pre-
ceptum Circumcisionis datum Abraham, & femini ejus
in generationibus suis, fluxerunt anni trescenti nonau-
ginta duo.*

X L.

*A diluvio usque ad nativitatem Jacob, fluxerunt ani-
ni quadringenti quinquaginta tres.*

X LI.

*Loth non peccavit mortaliter offerendo filias suas vi-
ris pessimis Civitatis Sodomæ.*

XLII.

XLII.

Filię Loth peccaverunt mortaliter in concubitu cum patre suo.

XLIII.

Vero simile est, quod Isaac, tempore immolationis suæ in monte ex præcepto Domini, erat triginta trium annorum, ejusdem videlicet ætatis, qua Christus Dominus ductus ad occisionem pro salute totius generis humani.

XLIV.

A creatione Mundi usque ad nativitatem Jacob fluixerunt anni bis mille centum, & novem.

XLV.

Cum Jacob ex consilio matris suæ Rebeccæ, pergeret ad gregem, & afferret duos hædos optimos, ut illa pararet cibos, sicut velle noverat patrem illius; posteaque interrogatus à patre: Quis es tu fili mi? ille dixisset: Ego sum primogenitus tuus Esau; oritur difficultas: An Jacob in prædictis verbis fuerit mentitus? Respondeatur: Jacob nullo modo mendacium dixisse in hac responsione.

XLVI.

In littera cap. 30. Genes. ver. 22. 23. 24. dicitur: Recordatus quoque Dominus Rachel exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus, quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Joseph. Deinde ver. 25. sequenti dicitur: Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo; dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam. Quarieritur, quo tempore natus est Joseph? Et resolvitur, natum fuisse

anno ultimo servitutis Jacob in domo Laban.

XLVII.

Joseph venditus fuit Ismaelitis post mortem Rachel matris sue.

XLVIII.

A creatione Mundi usque ad descensum Jacob in Aegyptum, fluxerunt anni bis mille ducenti triginta novem.

XLIX.

Numerus animarum, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœnore illius, juxta litteram cap. 46. Genes. ver. 26. fuit Sexaginta sex personarum, non includendo in isto numero Her, & Onan, qui mortui sunt in terra Chanaam, nec etiam Joseph cum duobus filijs suis, scilicet Manasses, & Ephraim.

L.

Numerus animarum domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum juxta litteram prædicti cap. 46. ver. 27. fuit Septuaginta personarum, excludendo ab isto numero Her, & Onan, & includendo ipsum Jacob.

Ut clarius concordia utriusque textus percipiatur, libuit exprimere nomina eorum, qui cum Jacob in Aegyptum descenderunt, & in particulari in sequenti tabula apponere.

FILIJ JACOB EX LIA, ET FILIORUM FILIJ,
in littera cap. 46. Genes.

- | | |
|-------------------------------------|--|
| 1 Ruben , primogenitus, | 2 3 Hesron) <i>Isti filij.</i> |
| 2 Henoch, | 2 4 Hamul) <i>Phares.</i> |
| 3 Phallu, | 2 5 Isachar, |
| 4 Hesron, | 2 6 Thola, |
| 5 Charmi, | 2 7 Phua, |
| <i>Isti filij Ruben.</i> | 2 8 Job, |
| 6 Simeon, | 2 9 Sentron, |
| 7 Iamuel, | 3 0 Zabulon , <i>& filij ejus.</i> |
| 8 Iamin, | 3 1 Sared, |
| 9 Ahod, | 3 2 Elon, |
| 10 Iachim, | 3 3 Iahel, |
| 11 Sohar, | <i>Hi filij Lia ait sacer</i>
<i>textus.</i> |
| 12 Saul, | 3 4 Et Dina filia sua , om-
nes animæ filiorum , <i>&</i> <i>triginta tres.</i> |
| <i>Isti filij Simeonis.</i> | In hoc tamen numero
nō clauditur Dina, nam
cum Dina sunt 34. Ex
Zelpha. |
| 13 Levi, | 3 5 Gad, & filij ejus. |
| 14 Gerson, | 3 6 Sephon, |
| 15 Caath, | 3 7 Haggi, |
| 16 Merari, | 3 8 Suni, |
| 17 Iuda , <i>& filij</i> | |
| 18 Her) <i>Isti duo mortui sunt</i> | |
| 19 Onā) <i>in terra Chanaam.</i> | |
| 20 Sela, | |
| 21 Phares, | |
| 22 Zara, | |

- 39 Esebois,
 40 Heri,
 41 Arodi,
 42 Areli,
 43 Aser, & filij ejus.
 44 Iamna,
 45 Iesua,
 46 Iessui,
 47 Beria,
 48 Sara, Soror eorum,
 49 Heber, filius Beria,
 50 Melchiel, etiam filius
 Beria,
 Hi filij Zelphæ; Sexdecim
 animas. Dico 16.
 Ex Rachele.
 51 Joseph,
 52 Benjamin,
 53 Manasses, filius Joseph,
 54 Ephraim, etiā filius Joseph

- Filij Benjamini,
 55 Bela,
 56 Bechor,
 57 Asbel,
 58 Gera,
 59 Naaman,
 60 Echi,
 61 Ros,
 62 Mophim,
 63 Ophim,
 64 Ared,
 Ex Bala,
 65 Dan,
 66 Husim, filius Dan,
 67 Nephtali,
 68 Iasiel, filius,
 69 Guni, filius,
 70 Ieser, filius,
 71 Sallem, filius,
 Hi filij Balæ.

Nomina expressa hic in particulari, sunt vel faciunt
 summam 71. Iste est numerus personarum, quæ egressæ
 sunt de femore Jacob, & ingressæ sunt in Ægyptum, ut
 patet in littera, ex quibus si excludantur Her, & Onan,
 qui non intraverunt in Ægypto, sed mortui sunt in Cha-
 naam, & etiam Joseph cum duobus filijs suis, qui iam
 erant

erant in Aegypto , remanent 66. & hoc est quod dicitur in littera cap. 46. Genes. ver. 26. Cunctæ animæ , quæ ingressæ sunt cum Jacob in Agyptum , & egressæ sunt de famore illius absque uxoribus filiorum ejus , Sexaginta sex. Quando vero in prædicto cap. ver. 27. dicitur : Omnes animæ domus Jacob , quæ ingressæ sunt in Agyptum , fuere Septuaginta ; excluduntur ab isto numero Her , & Onan , & includitur ipse Jacob , qui tanquam caput domus , & familiæ descendit in Agyptum , & primus numeratur. Unde manent Septuaginta animæ juxta veritatem textus.

Palestræ Locus erit Regius Cordubensis Conventus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum , ubi ad libitum Antagonistarum propugnaturus aderit P. F. ANDRÆAS ARROYO , in prædicto Philosophie Lector , sub auspicio , & umbra P. F. DIDACI VINCENTIJ DE FLORES , ET VELASCO , olim in eodem Studiorum Regentis , ac demum ad Lauream Magisterij merito Jubilati. Die 2. Mensis Maij Anni Domini 1763.

CORDUBENSI PHOENICI,

QUEM OMNIGENÆ SAPIENTIÆ SPOLIIS

PRETIOSA LAUS EXORNAT, EX CUJUS

VARIA CONGERIE FORMOSA PALLAS
CELEBRANDA CONSURGIT.

ILLUSTRISSIMO COETUI,

CUJUS ENCOMIUM CITHARA APOLLINIS
MILLIES DIGNUM;

CUJUS MEMORANDA VIRTUS, SEPULCHRI
expers, ipsa super astra regnatura conscendit,
& gloria corona triumphat,

nam ut Seneca :

NUMQUAM STYGIAS FERTUR

ad umbras inclita virtus.

MISTICO FERCULO

EX INCORRUPTIBILIBUS LIBANI CEDRIS

media charitate constrato, in quo divini Salomonis

gloria circumfertur quorumque

FIRMIORI FIDEI COLUMNAE

Ossij, Marcellini, Prestantiumque Antistitum

decoratae doctrina

AD CUJUS FONTEM LUCEM QUÆSITURI

accedunt, quotquot sapiunt, omnes.

PROFUNDISSIMO MUNIFICENTIÆ PELAGO,

cujus rivuli se diffundunt in omnes:

Cujus Laudes in æternum fixæ manebunt:

Liceat nunc Maronianum illud usurpare:

In freta dum fluvij current, dum montibus umbra

Lustrabunt convexa: Polus dum sidera pascet:

Semper honos, nominaque tuū, Laudesque manebunt.

(Ex Virg. Aenid. 11.)

GRÆCORUM ENIM FACUNDIA,

Romanaque eloquentia impares se vel invitæ quoad
præsens in Laudando fatentur.

Sed cui hæc encomia merito cuncta cedunt?

ILL.^{MO} D. D. DECANO,

ET SACRO CELEBERRIMÆ CATHEDRALIS

Cordubensis Ecclesiæ Capitulo colendissimo; unde tot
Illusterrimi Principes, tot clarissimi Præfules, tot vene-
randi Heroes, tot Laureati doctores, tot generosi proceres,

Ut in illorum enarratione

Arithmetica insidet.

Huic ergo tam Illustri Principi, tantisque titulis decorato

Patrono, SS. Trinitatis Redempt. Captiv. Bœtica Provincia

pro Comitijs Provincialibus celebrandis in hoc Regali

Cordubensi congregata Cœnobio, ut sub munimine tan-

to Secura consistat, & dum alta petit, sub tanto alarum teg-

mine Stellarum fastigium pertingat: amotis, & believolen-

tiae, ergo hos expositivos Flores ex amoenissimo Sacre

Scripturæ paradiſo selectos supplex dicat, venerabun-

da offert, atque submissa consecrat.

CARMEN ACHROSTICUM.

In signis fabrica, validis fortissima saxis,
 Tuta nimis, varijsque suis altissima fulcris,
 Tumine marmoreo cunctis præstantior orbis
 Cendique pyramidum superans miracula Memphis,
 Sacra domus Domino præfulget Bætis ad oras,
 Totarum Hesperię merito dignissima Laude,
 Divitiæ cumulo vasto celeberrima mundo,
 Donis, ac spolijs nimirè regalibus aucta,
 Ignè præ cunctis nitido glomerata decore.
DECANON
 lucet Fano turba hoc numerosa virorum,
 Cujus splendorem resono super æthera cantu
 Amplia per Aetiopum, Indorum per regna nigrantum
 Notum fama facit; cuius firmissima virtus
 Ruphei cithara celeberrima, Apollinis ore,
 Et si laudetur, nondum celebrabitur apte.
 Turba nobilitas hujus præcelsa micantis
 Conspicuumque decus (quo in unquam clarius ullum
 Ante fuisse ferunt, cum priscis, secula nostra).
 Perpetua populi clamantis voce patescit.
 Insolito tandem plautu memoratur Athenis
 Nam claræ, pariterque Sacrae Sapientia turbæ.
 Vivas Sacra Cohors, hilaris per secula vivas,
 Ucreris merito sæclis memorabile nomen.
 Decus, o sidus fulgens, o gloria Mundi!
 Haec vox thestra, tunc mo dic
 as bis scs ti unc re amus.
 Quoniam mes granum flo put

EX LIBRO EXODI.

I.

OMNES ANIMÆ EORUM, qui egressi sunt de fæmore Jacob, fuerunt Septuaginta, non numerando Dinam filiam Lia.

II.

Etsi Divus Stephanus Actor. 7. v. 14. afferat, quod Joseph accersiverit Jacob patrem suum, & omnem cognitionem suam in animabus Septuaginta quinque, tamen non omnes Septuaginta quinque egressæ sunt de fæmore Jacob.

III.

Moyses electus à Deo ad liberandos fratres suos de servitute Agyptiorum, nullomodo peccavit Agyptium occidendo.

IV.

Etsi in littera cap. 12. Exodi ver. 40. afferat Scriptura, quòd habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Agypto fuit quadringentorum triginta annorum; prædicti anni numerandi sunt, & referendi, non ad mansionem in Agypto; sed partim ad peregrinationem Abraham, quando egressus est de Haran, & erat Septuaginta quinque annorum; & partim ad opressionem servitutis usque ad egressum filiorum Israel de Agypto.

V.

An tabulae legis , traditæ sint Moyſi in Monte Sina, immediate à Deo, vel per Angelum in persona Dei ? Respondetur : Tabulas legis traditas esse immediate ab Angelo Vice-Dei.

VI.

Aaron graviter peccavit in fabricatione vituli.

VII.

Eiusmodi peccatum habuit malitiam Idolatriæ.

EX LIBRO LEVITICI.

VIII.

Deus non vocavit Moysem in Monte Sina, ut daret illi legem levitici.

IX.

Moyses non congregavit omnem multitudinem filiorum Israhel ad audiendam, & promulgandam legem Levitici.

EX LIBRO NUMERORUM.

X.

Numeratio populi Israel , facta in hoc Libro numerorum cap. 1. est distincta ab illa, quæ habetur cap. 3. Exodi.

XI.

Prædicta numeratio , etiam distincta est ab illa , quæ habetur cap. 26. hujus Libri.

EX LIBRO DEUTERONOMIJ.

XII.

Cum Scriptura Sacra expresse afferat cap. 3 r. ver. 24. quod postquam Moyses scripsit verba legis hujus in volumine, atque complevit: praecepit Levitis, qui portabant arcam fæderis Domini dicens: tollite librum istum, & ponite eum in lacere arcae fæderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium; constanter affirmare debemus, Moysem esse scriptorem illius, quo ad omnes partes.

XIII.

Moyses non fuit ingressus in terram promissionis.

EX LIBRO JOSUE.

XIV.

Postquam Josue succendit, & dissipavit Urbem Jericho; ut in cap. 6. hujus lib. narratur; ut etiam expugnaret urbem Hæ, dixit multitudinem bellatorum: Consurgetis de insidijs, & vastabitis Civitatem: Sic in litera cap. 8. ver. 7. Quæritur; an liceret Josue uti insidijs in hoc jutto bello? Affirmative respondemus.

XV.

Cap. 10. hujus lib. ver. 13. dicitur: Soleruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Ex quibus verbis oritur dubium: utrum Sol, & Luna stare naturaliter possint? & resolvimus; Solem, & Lunam

nam stare posse, secundum naturam corporum cœlestium.

EX LIBRO JUDICUM.

XVI.

Factus est ergo Spiritus Domini super Jephite, et circuiens Galaad, & Manasse, Maspera queque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, votum vocavit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit aggressus de foribus domus meæ, mihiique occurrerit revertenti in pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Sic in lit. cap. 11. hujus lib. ver. 29. 30. 31. ex quibus verbis colligimus, Jephite non peccasse vovendo sacrificium unigenitiæ filiæ suæ.

XVII.

Jephite minime peccavit in reddendo votum, quod moverat.

XVIII.

Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philistinorum: quam quæso accipiatis mihi in uxorem. Ita nuntiavit Samson patri suo, & matri suæ, ut patet in littera cap. 14. hujus lib. ver. 2. & inquiritur: an Samson peccaverit ducendo uxorem Philisteam? Negative respondemus.

EX LIBRO PRIMO REGUM.

XIX.

Cum Samuel apparuisset Sauli post mortem, ei-
que prophetasset scisuram Regni, translationem in
David, & tandem ipsius Saulis cum tribus filiis mor-
tem jam imminentem, & eventuram. Quæritur
Num vera anima Samuelis apparuerit, & vel metum
ipsius Phantasma? Respondemus: Veram Samuelis
animam apparuisse Sauli.

XX.

Samuel non apparuit Sauli, ope Pythonisæ, seu
Magicæ artis.

EX LIBRO SECUNDOR REGUM.

XXXI.

Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum
patribus tuis, suscitabo semen tuum poste, quod agre-
dierit de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse edi-
ficabit domum Nomi meo, & stabiliam thronum reg-
ni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, &
ipse erit mihi in filium: Misericordiam autem meam
non auferam ab eo sicut abstuli à Saul, quem amovi
a facie mea. Juxta omnia verba hæc, locutus est Na-
than ad David ex precepto Domini, ut paret ex lite
ter cap. 7. hujus lib. 2. ex quibus inferimus, Salo-
monem æternam salutem consequutum fuisse.

XXII.

XXII.

Juxta æditionem Septuaginta , Salomon novissime pœnitentiam egit , & sub ea decessit.

EX LIBRO TERTIO REGUM.

XXIII.

Tollens itaque Aſa omne argenteum , & aurum , quod remanserat in theſauris domus Domini , & in theſauris domus regiae , dedit illud in manus ſervorum ſuorum : & misit ad Benadad Regem Syriæ , qui habitabat in Damasco , dicens : fœdus eſt inter me , & te , & inter patrem meum , & patrem tuum . Sic in lit. cap. 15. ver. 18. hujus lib. 3. Quæritur : an in lege veteri licuerit auxilium ab Infidelibus implorare ? Respondetur negative .

XXIV.

Non eſt illicitum auxilium ab Infidelibus implorare , ſecluso omni periculo perversionis in fide , & in religione .

EX LIBRO QUARTO REGUM.

XXV.

In littera cap. 3. hujus lib. ver. 7. dicitur , quod cum Joram Rex Israel vocaret Josaphat Regem Iudea ad præliandum contra Moab , iſte respondit : Aſcendam : Populus meus , populus tuus ; & aequi mei , aequi tui . Ex quibus verbis , oritur difficultas : an in lege veteri licitus fuerit æquorum uſus ? Respondemus :

Ju-

Judeis prohibitum esse uti ~~equis~~, præsertim ad bellum.

EX LIBRO I JOB.

XXVI.

Vir erat in terra Hus nomine Job. cap. 1. v. 1.

Quæritur: utrum id quod in libro Job træditur sit Historia; an Parabola? Resolvitur: librum Job Historiam fuisse, non vero meram Parabolam, seu figuratum.

EX LIBRO PSALMORUM.

XXVII.

David fuit unicus Author omnium Psalmorum.

EX JEREMIA PROPHETA.

XXVIII.

Priusquam te formarem in utero novite; & antequam exires de vulva, sanctificavi te: cap. 1. ver. 5. ex quo textu, necessariò asserimus, Jeremiam in utero mattis sue gratiam justificationis accèpisse.

EX DANIELE PROPHETA.

XXIX.

Supposito contra Originem, & ejus Asseclas, non esse Parabolam, sed Historiam, & realem eventum, quidquid in cap. 4. Danielis dicitur de somnio Nabuchodonosoris, ejusque Regno; asserimus, Nabuchodonosorem non figuram exteriorem, neque cor habuisse ferinum; sed dumtaxat mores habuisse belluinos, & sensus.

EX PROPHETIA OSSEE.

XXX

Ad illa verba:

*Et congregabuntur filii Iuda, & filii Israel pariter,
& ponent sibi caput unum.* Cap. 1. ver. 11. Quæritur:
an decem Tribus post captivitatem Asiriam factam, ali-
qua ex parte, finita captivitate redierint ad unum Reg-
num Judæorum integrandum? Resolvitur: etiam de de-
cem Tribubus in Asiriam adductis, finita captivitate,
plures sub Zorobabelo in unum regnum Judaicum red-
divisse.

*Defensabuntur in supradicto Regio Cœnobio sub Eisdem
Propugnatoribus ad placitum arguentium die 3.*

Mensis Maij Anni Domini 1763.



ANSWER **TO** **THE** **QUESTION** **IN** **THE** **HEAD**

— 1 —

卷之三

१३७ अनुवाद लिखा गया

• 67 • *Journal of the Royal Society of Medicine* [Vol. 56]